

Observatio de affectibus morborum virginis Havniensis : cui plurimae acus e variis corporis partibus excisae et extractae sunt / auctore J.D. Herholdt.

Contributors

Herholdt, Johan Daniel, 1764-1836.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Havniae : Typis excudebat Andreas Seidelin, 1822.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/avbsyp2q>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

15

OBSERVATIO

DE

AFFECTIBUS MORBOSIS

VIRGINIS HAVNIENSIS


CUI

PLURIMÆ ACUS E VARIIS CORPORIS PARTIBUS
EXCISÆ ET EXTRACTÆ SUNT.

AUCTORE

J. D. HERHOLDT,

MEDICINÆ DOCTORE ET PROFESSORE, PROTOMEDICO NOSOCOMII REGII
FRIDERICIANI, CURATORE MEDICINÆ MILITARIS NAUTICÆ, EQUITE
ORDINIS DANEBROGICI, MEMBRO PLURIUM SOCIETATUM DOCTARUM.



H A V N I Æ.

TYPIIS EXCUDEBAT ANDREAS SEIDELIN,
AULÆ REGIÆ & UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXII.

DISSEMINATION

THE STATE OF NEW YORK

IN SENATE



AND

ASSEMBLY

1880

REPORT

OF THE

COMMISSIONERS

PROOEMIUM.

Heic tibi amice Lector! observationem offero, jam ante annum (die nempe 8vo mensis Martii anni 1821) *Societati Regiæ Medicæ Havniensi* prælectam. Status ægrotæ, cujus fata tunc depingere studui, eo tempore tam tolerabilis erat, ut omnium nostrum, quotquot eam conspeximus, nemo esset, quin prosperum morbi eventum præsagire auderet. Quam ob rem id mihi propositum fuit, ut cuncta, quæ observaveram, operis typographicis haud prius committerem, quam morbi quoque reliquæ dissipatæ essent.

Verumenimvero nostram spem magnamque expectationem eventus fefellit, et res multo aliter cecidit, quam a nobis prævideri potuit. Nimirum dum nihil istiusmodi suspicabar, post dolorem sat gravem circa dextri humeri articulum, a die 14to mensis Maii (anni 1821) *tumor in cavo axillari* obortus est, qui lente crescens multos denuo cruciatus ægrotæ inferbat, extremumque vitæ periculum minitabatur. Nam hic tumor (ut postea comperi) tantum acuum numerum continebat, ut (præter illas 273 antehac excisas) ex humeri ambitu plus 100 a die 26to mensis Martii ad hodiernum usque diem arte evulserim.

Luctuosum hunc ac lamentabilem statum jam inde a medio mensis Maii auxit accedens *urinæ retentio* (uti annis 1809 et 1810) *completa*, quæ ad 4tum

mensis Julii continuo perdurans, ægrotæ vesicam quotidie saltem semel, quandoque pluries, arte evacuandi necessitatem mihi iterum imposuit. A die 5to mensis Julii aqua rursus sponte profluebat, et ægrota tres circiter septimanas patibilem denuo vitam degebat.

Sub finem mensis Julii ægrota quandoque *super potionum modum min-gebat*, urina tamen pro illius lubitu et sine ulla molestia adhuc manabat. Sed brevi post hic affectus in continuum *Diabetem*, qui nothus et insipidus audit, sensim transibat. Hoc morbi additamentum mali quidem ominis erat, minus tamen terrebat, quamdiu vesicam sponte exinanire Misera valebat.

Ast quam vaga semper et volubilis ejus fortuna! Etenim die 4to mensis Octobris ad Diabetem, jam tum satis ube-

rem, *urinæ retentio se rursus ad-*
junxit, eaqve dein tam pertinax fuit,
 ut postea ne guttulam quidem ægrota
 sponte emiserit. Hinc, ut ad summum,
 quod ei immineret, periculum, chirurgica
 manus die nocteqve parata semper et
 prompta esset, svasi et rogavi, ut ad *No-*
socomium Regium Fridericianum
 (in quo adhuc sub mea cura degit) trans-
 portaretur.

Demum mense Januario anni 1822
 ad istam miseriarum catervam, alia af-
 fectio, eaqve certe non minoris pernicie
 quam ceteræ, velut cumulus accessit.
 Nempe *vaginæ constrictor*, *tonico*
spasmo correptus, aditum ad intima
 genitalia tam arcte occludebat, ut po-
 stea specillum per vaginæ ostium in-
 troduci ægre posset. Ab eodem inde
 tempore intra constrictorem *tenuis li-*

quor, urinæ ad aspectum similis, clam die nocteque *secernebatur*, atque hic liquor in ipsa vagina, quod valde mirum, prorsus ita nunquam non *retinebatur*, ut is, ni pluries quotidie (uti urina e vesica) catheteris ope educeretur, acerbissimos cruciatus variasque affectiones hystericas sua copia adferret.

Sub hoc affectu ægrota, plerumque fastidians, siti perraro vexata, ab initio mensis Februarii ad exitum mensis Junii h. a. (spatio 151 dierum) adsumsit 2020 circiter Uncias (maxime aquæ) sive 126 Libras.

Eodem temporis spatio arte eductæ sunt liquoris diabetici:

e vesica urinaria . . .	326	} 855 Librae.
e vagina uteri . . .	529	

En velut *geminum Diabetem* (vaginalem nempe et vesicalem) una cum *geminâ Ischuria*, seu inhibito effluvio ex

utroque receptaculo. Est sane hæc complicatio, quam nunc per dimidium annum quotidie vidi, tam singularis et rara, ut quantum comperire potuerim, ad nostram usque memoriam nec visa nec audita sit.

Quæret forsán quispiam: unde tam immodica liquoris diabetici copia? Hæsito, quid in hac re nimis adhuc dubia respondeam. Nihil enim, opinor, potest e corpore manare, cujus principia non antea fuerint immissa. Ast ægrota nostra jam initio mensis Februarii adeo tenuis erat, ut exile ejus corpus vix 120 Libras ponderaret. Emisit ab eo inde tempore ad exitum insequentis Junii, 855 Libras, vel 729 Libras, supra mensuram potus et cibi (126 Librarum), quam ipsis iisdem 151 diebus assumserat. Attamen sub hac morbi periodo tota ejus compages, quod mirum! vix 16 Librarum pondus

perdiderat. Unde igitur reliqvæ istæ
 713 Libræ furtim sangvini resarcitæ? Eo
 fere adductus sum, ut credam, pulmo-
 nes sub certis affectibus facultate prædi-
 tos esse, aërem inspiratum in serum
 transmutandi.

Alia, quæ huc spectat, quæstio faci-
 lius solvitur; hæc nempe: num in nostra
 ægrota omnis liqvor diabeticus, vaginalis
 pariter cum vesicali, e solis renibus ceu
 unico fonte scaturiat? Fuerunt cl. viri,
 qui collectionem liqvoris in vagina ab il-
 lius transsudatione per parietes vesicæ
 explicare conati sint. Hæc vero expli-
 catio, fateor, utut speciosa videatur, non
 tamen mihi satisfecit, neque ea observa-
 tis ullo modo congruit. Etenim sympto-
 mata ex ischuria vesicali suborta, dolor
 præprimis et assiduum meiendi deside-
 rium, nunquam mitigata vidi, sed plu-

ries aucta, dum liqvor vaginalis arte educeretur. Neque catheter in aditu ad alterutrum receptaculum (sive in ostio vaginae sive in urethra) consulto relictus, unquam prohibuit, quo minus illorum alterum post solitum temporis intervallum a liqvore moleste distenderetur. Insuper liqvor e vagina elicitus, et urina e vesica ducta, varia ratione inter se semper differebant. Vaginalis nempe ut plurimum turbidus e muco, viridescens et odore gravi molestus erat; contra liqvor vesicalis nunquam fere non limpidus, pellucidus et minus foetidus deprehendebatur. Denique solertissima utriusque liqvoris analysis jam inter alia monstravit, liqvo-rem vaginalem *principium* quidem *uricum* continere; nil vero *acidi urici*; contra e liqvore vesicali paululum *acidi urici* una cum ejusdem principio eductum

est. Hæc observata, ni fallor, satis evincunt, alterutrum liqvorem in proprio suo organo secerni, urinam scilicet in renibus, liqvorem vaginalem in intimis genitalibus. Num vero secretio liqvoris vaginalis in ipsa vagina, an in utero, an in organo seminali *Gartneri* nostri perficiatur, nondum determinare audeo.

Improvisa illa morbi mutatio, amice Lector! in causa est, cur jam diu undique rogatus, nunc demum a consilio proprius capto deflectam, et (morbo quamvis procul forsan a fine) hanc primam observationis particulam publici juris faciam. Quam fortunam Miseranda nostra in posterum expertura sit, id, si Deus me incolumem servet, suo tempore, quæcumque diligentia, adumbrare conabor.

Ne vero ineptam fabulam me docuisse credas, officium duco, in veritatis fidem nomina hic addere Collegarum, ad numerum 36, qui ægrotam vario tempore una mecum viderunt, mihiqve in multiplicibus illius affectibus tractandis consilio et auxilio fuerunt. Ordine alphabetico hi sunt:

Dr. J. D. BRANDIS, Archiater, Augustissimæ nostræ Reginæ Medicus, eques ord. Danebr.

Dr. H. CALLISEN, Generalis chirurgiæ et anatomiæ curator, Professor chirurgiæ supra invidiam emeritus, Cemmendator ord. Danebr.

J. L. DREJER, Medicus præsiarius Nosocomii Regii Fredericiani. (Is præsens fuit, dum *tres* acus ex abdomine, *octo* e brachio dextro excidi).

A. C. FENGER, Professor in Academia Chirurgorum Regia, Augustissimi Nostri Regis Chirurgus primarius, eques ord. Danebr. (Adfuit dum acus ex abdomine extrahebatur).

Dr. H. T. GARTNER, Medicus practicus havniensis. (Adfuit dum acus e brachio dextro excisa est).

CH. H. HAHN, Curator rei chirurgicæ navalis et
Protochirurgus legionis militiæ nauticæ.

J. FR. W. HERHOLDT, Protochirurgus legionis mi-
litiæ nauticæ.

P. H. HJORT, Protochirurgus legionis militiæ terre-
stris. (Is adfuit dum tres acus e brachio ex-
scindebantur).

Dr. S. JACOBI, Medicus practicus havniensis, jam
beatus.

Dr. L. K. JACOBSEN, Professor et Medicus prac-
ticus havniensis. (Is adfuit, dum acuse mamma
sinistra extrahebatur).

G. JESSEN, Medicinæ Candidatus in Nosocomio Re-
gio Fridericiano. (Is mihi, dum duas acus, unam
e brachio dextro, alteram e mamma dextra, ex-
scindebam, auxilio erat).

Dr. H. M. W. KLINGBERG, Professor anatomiæ in
Academia artium elegantiarum et Protochirurgus
legionis militiæ nauticæ. (Eo præsentate acum e
brachio dextro extraxi).

P. LARPENT, Medicinæ Candidatus in Nosocomio
Regio Fridericiano. (Ejus auxilio viginti et duas
acus e brachio dextro evulsi).

G. LIND, Licentiatus medicinæ, et medicinæ Can-
didatus in Nosocomio Regio Fridericiano. (Is
præsentis fuit, dum acum e mamma dextra ex-
cidi).

Dr. A. LUND, Professor, aulæ regię Medicus, et
Poliater Metropolis.

Dr. C. M. LUNDING, Medicus provincialis.

J. B. MADSEN, Chirurgus Regius provincialis.

F. W. MANSA, Chirurgiæ Candidatus in Nosocomio
Regio Fridericiano. (Is adfuit dum acum e
mamma dextra extraxi).

Dr. MEIERHOFF, Medicus Bremensis. (Hujus
viri præsentia acus e brachio dextro excisa.
Ipse tactu magnetico urinæ exitum parare fru-
stra tentavit).

J. C. MÜLLER, Protochirurgus legionis militiæ ter-
restris.

T. C. MÜRER, Medicus practicus Havniensis. Ejus
præsentia duæ acus e mamma dextra extractæ
sunt.

N. C. MÖHL, Medicinæ Candidatus in Nosocomio
Regio Fridericiano. (Ab eo adjutus tres acus e
brachio dextro duasque e mamma dextra excidi).

S. PETERSEN, Medicinæ Candidatus in Universitate
Norvegica Fridericana.

Dr. G. RAHLFF, Medicus Theatri regii, Protochi-
rurgus legionis regię a civibus academicis com-
positæ.

C. RETZIUS, Magister artium Lundensis.

Dr. J. S. SAXTORPH, Chirurgiæ et artis obstetriciæ Professor in Universitate Regia Havniensi, Medicus obstetricans primarius Nosocomii regii puerperarum, eques ord. Danebr. (Is adfuit dum acum e cavo axillæ dextræ extrahebam).

Dr. J. H. SCHIÖNHEIDER, Professor, aulæ Regiæ medicus.

Dr. CHR. FR. SCHUMACHER, Professor anatomiæ in Universitate Regia Havniensi, eques ord. Danebr. (Is acum in vulnere abdominis tetigit, quam tamen eo die extrahere frustra conati sumus).

S. B. SVENDSEN, Protochirurgus legionis militiæ terrestris.

E. SWITZER, Chirurgus præsidiarius legionis nauticæ, et Prosector in Universitate Regia Havniensi.

R. THAL, Professor, Protochirurgus Nosocomii civilis Havniensis, Lector Chemiæ in Academia Chirurgorum Regia.

Dr. THELNING, Medicus Augustissimi Principis Oscar, Regni hæredis Sveciæ et Norvegiæ.

S. TRIER, Studiosus Medicinæ. (Adfuit dum acum e mamma dextra exsecui).

O. O. WINCKLER, Protochirurgus legionis militiæ terrestris. (Eo adjutus quinque acus e cavo axillæ, duas e brachio excidi).

rent. Num ex hoc meo suscepto ars nostra vel tantillum emolumentum capiat, vestro iudicio relinquere verecundia jubet. Oppido saltem patebit, quantas ærumnas quantasque miseras natura hominis, alias nimis eheu! fragilis et caduca, perferre nonnunquam, imo assidua et solerti cura adjuta, vincere valeat.

RACHEL HERTZ, judæa virgo, tenuioris quidem constitutionis, sed acutioris ingenii, a prima juventute ad 14 ætatis annum, salutis ac virium satis integra vixerat, jamque lunare tributum persolvere coeperat. Ea, variolarum morbo perfuncta, primum anno 1807 die 16 Augusti de colico dolore conqvesta est, qui ultra 18 dies quamvis perseverans, parum tamen sollicitudinis excitabat. Tertio vero die Septembris, cum sub publico tumultu eius abdomen forte percuteretur, atque deinceps dolor ille colicus multum ingravesceret, moesti ægrotæ cognati a me medico auxilium petivere.

Accersitus ego ægrotam angore molesto et ingenti dolore, in præcordiis maxime et lumbis vexatam, totumque abdomen mire

turgens, inflatum ac renitens inveni. Clamabat perpetuo, introrsus totam se æstuarere et velut igne comburi. Illa nec motum, nec quietem tolerabat; plures jam noctes diesque insomnes transegerat; spiritum difficulter et anxie ducebat; pulsus tensus erat, parvus et valde acceleratus; alvus tenaciter adstricta; virium prostratio una cum sudore frigido, totum corpus perlucens, aderat, inanesque ad vomendum conatus continuo urgebant. Methodo antiphlogistica strenuo adhibita — clysmatibus lenitivis ac emollientibus — et fomentis ejusdem indolis abdomini adplicitis — intra paucos dies ægrota a gravi hoc morbo omnique dolore libera evasit, pleneque revaluit. Felix medicatio, cum adjutrix natura succurrit!

Cum Hafnia iisdem diebus ab hostili Anglorum exercitu obsessa esset, et per plures inprimis noctes crudelissime oppugnaretur; summus inde terror, mulieribus præcipue et virginibus injectus, earum plurimum systema nervosum ita concussit, ut infortunio magis quam culpa miseræ infelicesque e publica ista calamitate evaderent. Mirandum itaque, quomodo nostra ægrota, quæ animi quidem constantis, neque ad tristitiam neque ad gaudium

nimis propensi erat, a gravi licet isto terrore nuperrime percussa, et a morbo tam severo valde debilitata, omnem tamen nervorum offensionem sub dira illa epocha feliciter effugere potuerit. Sana nempe deinceps, et immunis ab omni malo, vixit ad diem usque 24tum Novembris ejusdem anni, quo die post immensum horrorem, tumor in latum diffusus, roseus, et floridus, verbo erysipelas, sine manifesta causa totam ejus faciem subito infestabat.

Nova hæc affectio feбри continua stipata, quamvis plurimas corporis functiones illico turbabat, vigiliam, inquietudinem, anxietatem, sensuumque perturbationem inducebat, solitis tamen remediis intra aliquot dies dissipabatur, insequente nulla fere epidermidis desquamatione.

Ast depulsum hoc malum, brevi post rediit idem —; febris tum magis incresebat, diutius affligebat, ac minus facile pristinis remediis cedebat. Neque hoc satis! Nulla quippe cura averti potuit, ne per tres prope menses proxime insequentes, eadem affectio tristem eandem tragoediam ludens, pluries jamjam sanata, denuo repeteret. Fidem fere superat, qua ratione misera nostra tantam symptoma-

tum, se una velut serie excipientium, catervam sine vitæ periculo perferre potuerit. Haud certe mirum, si e tanto, tamque repetito, conflictu sensim adeo languida et debilis evaderet, ut demum systema ipsius nervosum a levi quacunque causa infestaretur. Ad divi Hippocratis effatum: "quod qui sæpe erysipelate corripuntur, tandem eo moriantur", non solum artis nostræ periti, quorum plures, quid mihi faciendum esset, consului, de recuperanda sanitate dubitabant, sed etiam ipsius ægrotæ affines et cognati eam in ancipiti versari, tristes et perturbati existimabant.

Anno 1808 a fine Martii ægrotæ de die in diem debilitari et langvescere magis adhuc visa est. Ejus facies tunc pallida, exsangvis et emaciata erat. Nausea stomachi accessit, nec appetitu, sed imperio, parum cibi sumebat. Vexabant cordis palpitationes et tanta pectoris angustia, ut in suffocationis metu esset. Æstus intus et extus crebrius exardescerebat; caput vertigine afficiebatur; mentis facultates, memoriæ inprimis vis, minui videbantur; animi deliquia nunc pluries per diem urgebant; superveniebat interdum artuum tremor, ut neque stare nec ire vel sedere

posset. O! tum temporis jam sat misera puella! Medici consulti in morbo dignoscendo neutiqvam hæsitabant: hysteriam esse omnes censebant; sed opem nemo ferebat; etenim remedia omnis generis, vel potentissima, docte et sollicite adhibita, nihil valebant. Irrita medicatio, quæ repugnante natura tentatur!

Quæ morbi mutationes inde a mense Martio 1808 ad mensem Maium proximi anni — *spatio 14 circiter mensium* — seqvebantur, tam multiplices ac diversæ, tamqvæ mirandæ erant, ut singulas ordine recensere, non modo tædium afferret, sed vix sive omnino fieri non posset. Equidem affectiones adeo truculentas et intricatas totius vitæ meæ et praxeos tempore haud notavi. Liceat igitur, pace vestra, Sodales! præcipua duntaxat harum affectionum momenta, haud quidem ad extremum, sed eo, quo opus sit, persequi, eademqvæ sine pigmentis fucoqvæ puerili proferre.

Ab initio hujus epochæ et per tres prope septimanas inseqventes, ægrota nostra a causa quacunqvæ leviori (affectu scilicet animi, aëris intemperie, vitio in diæta commisso, imo interdum absqvæ ulla causa manifesta) in *lipo-*

thymiam velut a fulmine icta subito incidebat. Hæc animi deliquia mox diutius, mox brevius, durabant, indies iterum recurrebant, nullum vero typum servabant, nec erysipelate amplius, neque adhuc spasms hystericis stipata erant. Pleriqve ejusmodi insultus ita leves erant, ut ægrota, laxatis vestium vinculis, lecto imposita, aut sponte ad se rediret, aut solo adstantium clamore, aut frigidæ aquæ adspersione, aut dorsi percussionibus, aut spiritu saltem volatili naribus admoto, in vitam sat facile revocaretur. Sub ipso insultu instar moribundæ sine sensu et motu jacebat; articularum pulsationes tum langvidæ, quin fere nullæ erant, et respiratio vix percipiebatur. Simulac sensus et motus rediere, ægra inscia omnium, quæ sub paroxysmo acta erant, raro dolorem capitis gravativum, totiusque corporis langvorem accusabat, plerumque vero velut sana, e somno evigilans, de nulla prorsus molestia conquerebatur. Tempus inter paroxysmos domesticis occupationibus sub insigni mentis requie consumebat. Lectum vespertino tempore velut sana petens, noctes placido somno et ab omnibus prope symptomatibus libera traducebat. Plerumque ciborum nihil plane

præter decoctum avenæ et aquam frigidam sumebat. Alvus continuo segnis, rarissime nisi dato laxativo, aut clysmate injecto sollicitata respondebat. Urina semper fere tenuis et copiosa mingebatur, perraro lactis instar cum sedimento simili apparebat. Mensium fluxus parcior erat, et circa id temporis symptomata morbi haud exacerbari videbantur.

Per totam hanc epocham non remediis solum antihystericis, nervinis et carminativis morbum oppugnavimus, sed etiam anthelminticis usi sumus, cum vermes forsan adesse, ex lactea urinæ qualitate quidam colligerent. Ast tantum aberat, ut cuncta hæc remedia levamen adferrent, ut potius morbi insultus crebriores et atrociores redderent; neque vermes abiere. Plures igitur medici, iiqve magni nominis, in consilium vocati sunt, ut ægram conspicerent. Sed signa haud placere omnes libero ore fatebantur, vitæqve aut medelæ sese spem habere parvam! Quid ergo? Nullo uti remedio optimum esse præsidium, pleriqve judicabant. Ipsa ægrota sola, spe convalescendi freta, firmo, constanti atqve tranquillo animo erat.

Sub finem mensis Aprilis Anni 1808 aliam iterum formam, eamque adhuc terribiliorum morbus induerat. Ab hoc enim tempore ad crebra illa animi deliquia motus accedebant spastici et convulsivi, qui magis sensim crudeliter torquebant, et cum delirio sæpe ac furore, imo mania demum et rabie juncti erant. Morbi paroxysmi nunc tam variis modis, tamque mirandis symptomatibus triste spectaculum edebant, ut æquidem illa ordine describere neutiqvam valeam. Transiit morbus in calamitosum illud malum, quod apud Nosologos convulsivo-hystericum nominatur. Sæpius membra ægrotæ spasmis rigida, mox reciproco motu convulsiva observabantur. Plerumque omnes manuum pedumque digiti ita incurvabantur, ut nec vi nec ulla arte extendi possent. Brachia modo retrorsum, modo antrotrorsum trahebantur, iisdemque nunc dorsum, nunc facies, nunc pectus validissime allidebantur. Os modo clausum, modo apertum videbatur, totusque vultus variis gestibus deformatus erat. Sæpe spasmi in lingua simul in faucibus et æsophago apparere; nonnunquam apex lingvæ, clauso ore, aut sub motu maxillæ inferioris tremulo, spastica velut suctione gra-

vissimo cum dolore retrorsum ad pharyngem versus retrahebatur. Modo pedes ad nates flectebantur, modo totum corpus nunc e lecto in altum magno impetu elevabatur, nunc antrotrorsum nunc retrorsum movebatur; nonnunquam velut in catalepsi situm corporis, nunc contracti, nunc extensi diu ægrota servabat. Modo vestimenta discerpebat, stragula dejiciebat, vel insolito convolvebat. Nonnunquam sub ipso insultu elingvis erat, et admodum tractabilis; pluries vero, voce restituta, deliria jocosa et blanda loquebatur. Interdum inter violentas agitationes mente quamvis capta, cantus cum summa harmonia, quasi sana, aut veterum malorum certe oblita, modulabatur, interdum selecta loca e scriptis elegantioribus Göthii, Schillerii, Shakspearii, Öhlenslægerii aliorumque mirabili memoria, alta voce recitabat, idque clausis licet oculis sub gestibus textui accommodatis. Plerumque vero tanto furore delirabat, seqve ita jactabat, ut plurimum hominum robur ipsi resistere vix posset. Sub ejusmodi paroxysmis, sui inscia, miserando spectaculo dentibus frendebat, verberabat, mordebat, et invita cum terribili clamore, qualis eorum est, qui sævis tormentis cruciantur,

totam domum, quin viciniam replebat ei que molestiam exhibebat. Raro syncope vel sopore gravissimo oppressa, sine ullo sensu aut motu, et spiritum non ducens, mortuæ instar jacebat, rursus tamen et repente horribiles illi spasmi revertebantur. Ita quotidie afflicta, viribus et spe cadere, lecto decumbere, medicos admittere, dimittere nihil juvantes, quin et ipsi eam deponere et abdicare. — Puellæ miseras horrebant, quí adspiciebant: quid illa quæ ferebat?

Sæviebant istæ affectiones parum mutatae uno, ut ajunt, tenore ad diem usque 20 Maii ejusdem anni (1808). Accedebat tunc sub ejaculatu furioso vomitus cruentus, cui sub truculentissima anxietate et suffocationis metu, tussis insuper convulsiva, seu ferina immanis, et singultus valde molestus, velut presso pede inseqvebantur. Vomitu, qui summo cum cruciatio semper junctus erat, magna cruoris copia per proximos tres quatuorve dies noctesque cum impetu ejiciebatur; pluries simul materia nigricans, quæ tetro odore adstantes fugabat, per alvum secedebat. Tussis semper sicca erat, et æqvabili fere violentia ultra horam dimidiam interdum perseverabat. Singultus ut plurimum gravissimus erat, tantoque

cum clangore junctus, ut procul audiri posset. Vomitus quidem post diem 24 Maii haud amplius cruentus erat, cetera vero morbi symptomata — syncope — sopor — delirium — insaniam — furor — spasmi — convulsionem — tussis et singultus — omnia sese terribili impetu et crudelitate, ultra integros *septem menses*, observate tempus sodales: septem menses (paucis modo intervallis interrupta) alternatim velut excipiebant. Sub longi hujus temporis decursu misera nostra in syncopen tam gravem quotidie fere incidebat, ut sine ullo manifesto vitali motu, in profundissima animi defectione diu interdum jaceret. Quid igitur mirum, si pluries a cognatis suis, quin ab ipsis medicis ea vivere jam desiisse judicaretur? Sopor tum quoque adeo profundus plerumque erat, ut si cutis pungeretur aut ureretur, aegrotam inde nil sentiret, adeoque nullo stimulo suscitari posset. Rarissime sub diuturno hoc morbi statu ulla quiete tranquilla et placida fruebatur: etenim tum etiam, cum somnus eam complecti videretur, silentibus ceteris spasmiss, tussis tamen et singultus ut plurimum continuabant aut saltem intercurrerant. Per paucas igitur horas, easque incertas in quolibet

nycthemero sui conscia, mentisque compos, et ab omni sive dolore, sive spasmo, libera erat. Sub ejusmodi lucidis intervallis animi tristitiam suus vultus prodidit, licet ipsa patiendi necessitatem tacite ferens, de nullo malo conquereretur. Parum adhuc alimenti præter aquam frigidam sumebat; urinæ nunc parum plerumque et cum rubro sedimento mingebat; menstrua pallida erant et justo tempore parcius fluebant.

Graves illos et multiplices affectus dum misera patiebatur, varia interea pharmaca de novo tentavimus, nec ullum artis nostræ consilium negleximus. Ast, candide iterum fatendum est, cuncta ne hilum quidem profuisse, eorumque nullum sive solatium, sive levamen attulisse. Artem pertinax continuo vicit malum! — Quæ exinde matris affiniumque afflictio? Multos viros sub hac morbi epocha ægrotæ calamitas ad eam oculis conspiciendam excitabat. Visa est partim detestationem movens, partim miserationem, prout ingenium hominum erat. Vetulæ cumprimis, superstitione captæ, casu tam novo ac singulari percellabantur. Istarum aliæ ægrotam a dæmonibus prehensam stulte pronunciabant. Neque hoc mirum, cum ipse

Bartholinus noster de muliere per biennium adeo graviter singultiente loqvatur, ut a Dæmonibus obsessa videretur *). Aliæ illius mala e fascino ducebant, aut aliis magicis causis adscribebant. Nos medici, de artis nostræ subsidio omnino desperantes, si quæ adhuc salutis spes superesset eam unice ex accurata victus ratione et cautis rerum naturalium usu repetendam esse ingenue fassi sumus. Et quis nisi periniqvus hoc miretur aut culpet? Nonne præstat eam, quæ servari non possit, fati lege perire, quam ut medica opus periisse videatur? Sed o! malam miseræ sortem; multa æqve dira illi ferenda adhuc restabant. A die nempe 5 Januarii Anni 1800 versa aut mutata saltem sunt ejus mala, idque haud sane in meliorem partem. Ab hoc enim termino, quotiescunqve mentis compos erat de clavo et de globo hysterico, utroqve atrocissimo, perpetuo conqverebatur. Tunc etiam ab hostili spasmo (et tonico et clonico) plurima ejus organa ventralia indies vexabantur. Ab hac parte præter tussim, singultum ceteraque symptomata prius allata, nunc simul crudeliter sæviebant ventris rugitus, ructamina, vomituritiones, et tormina, ut pluri-

*) Epistol. cent. III.

mum cum dolore fixo circa curvaturam coli sinistram, et ineffabili præcordiorum anxietate. Tristem insuper hanc tragoediam complebat absoluta et pertinacissima urinæ retentio, diris suis quoque cruciatibus stipata.

Proxima horum malorum causa haud diu latebat. Exploratio enim partium affectarum nullum dubium reliquit, quin spastica intestini recti, simul ac urethræ contractio transitum contentorum per utrumque hunc canalem interpellaret. Intestinum adeo constrictum erat, ut ne flatum quidem transmittere valeret, imo vix fistulam pro enematis injectione intromittere sineret. Urethra toto suo tractu, ab ostio ad vesicam usque, non urinæ modo exitui sed etiam introductioni tam cereoli quam catheteris valide obsistebat. Denuo igitur, quotquot medici eramus, necessitate magis coacti quam confidentia moti ad artis præsidium confugere officium duximus. Cum dolores in vesica exporti ad lumbos se extenderent, et vesica jam ad capitis magnitudinem expansa esset, urinam artis ope illico elicui. Hinc dolores illi hypogastrici et lumbales plane evanuerunt, ut corpore ante incurvato ingredi coacta, rursus erecto incedere posset. Clysmata dein emolliens

laudano liquido Sydh. nuptum applicari jussit.
 Ast irritum hoc fuit; etenim ob motum peri-
 stalticum ad superiora conversum, neque illud
 alvum ducebat, nec symptomata, ex organis
 digestionis oborta, mitigabat. Semicupium te-
 pidum, ex herbis aromaticis compositum, tunc
 commendavimus; convulsiones vero et lipo-
 thymiaë intercurrentes eo uti vetuere. Fetus
 propterea calidi, sacculiqve aromatici abdo-
 mini appliciti sunt, verum etiam hoc frustra
 susceptum et sine levamine fuit. Tertio de-
 mum die aqua frigida acetata, ventri pluries
 subito aspersa, omnem canalis alimentaris af-
 fectionem una cum clavo globoqve hystericco
 intra paucas horas feliciter fugavit. Quæ in-
 terea remedia pro usu interno svasimus, ea
 si sui conscia erat ægrota, recusabat, et si
 aqua illi insciæ porrigebantur, eadem ructu et
 vomitu illico reddebat. Verum enimvero fugatis
 quidem istis affectionibus ex organis chylopoë-
 ticis, superstes tamen remansit tædiosissima
 ischuria, quæ dein ferociam totius morbi mul-
 tum augebat, eiqve novum veluti characterem
 inprimebat; ischuria non remansit, dixi, solum,
 sed etiam per *integros duos annos perseveravit*,
 simul cum sævis illis hystericis cruciatibus, id-

que tanta pertinacia, ut multiplicibus licet remedium generibus oppugnata, omnium tamen vim illuderet. Heu triste fatum, quis modus et quis finis erit!

Sub lamentabili hoc morbi decursu, a die nempe 5to Januarii Anni 1809 ad diem usque 8vum Decembris anni insequentis, eque pluries nonnunquam in die, quavis saltem vespera, catheteris ope urinam educere necessitate coactus sum. Sexcenties igitur et ultra in nostra ægrota hanc operationem perfeci, et quid mirum, si magna interdum cum difficultate? Ejus nempe urethra semper adeo sensibilis et irritabilis erat, ut operatio nunquam non frustraretur, nisi canalicula unico, levi et æquabili, tractu ad vesicæ cavum perveniret. At vero, quæ manus, vel mea multo dexterior, ad arduam hanc regulam, etiam sub agitationibus ægrotæ convulsivis, caute perficiendam omni tempore valet? Hinc sæpius per plures horas apud miseram nostram morari mihi opus fuit, priusquam, sedatis convulsionibus, sub quieto vel tractabili corporis statu illius vesicam certe evacuare potuerim.

Ab initio mensis Martii anni 1809 affectus illi hysterici, lipothymiam puto, et con-

vulsiones, contra omnium spem insigniter de-
 vehementia et frequentia remisere, verumta-
 men haud prorsus evanuerunt, quin miseram
 quamvis modo in vita victuque servato, acer-
 bis interdum insultibus nocturno imprimis tem-
 pore mulctarunt. Demum mense præter-
 lapso ægrota sine ullius fere medicaminis usu
 eo pervenit, ut noctes etiam (quoties urinæ
 eductio vespere haud omissa esset), placide
 et quiete duceret. E somno nunc postridie
 mane sponte semper evigilabat, ac deinceps
 animo et corpore se ita levatam sentiebat, ut
 totum diem extra lectulum degens, affines suas
 moestissimas exhilararet.

Sed prospera hæc Nostræ fortuna ad exi-
 guum modo tempus durabat. Mox enim som-
 nus matutinus, etiam tum cum bene dormi-
 visset, in soporem quotidie transibat, qui
 paucis diebus præterlapsis, denique adeo pro-
 fundus evasit, ut nullo stimulo fugari posset.
 Jacebat tunc misera plerumque ad meridiem
 usque velut attonita, sine motu, sine ullo
 sensu, respiratione adeo parva et rara, ut hæc
 interdum nulla esse videretur. Sub eodem statu
 pulsus simul tam parvus et obscurus plerumque
 erat, ut percipi vix posset. Aliqvot post me-

ridiem horas sopor ille, incognita causa, in dementiam et furorem quotidie convertebatur. Hæ accessionum formæ cum convulsionibus atrocissimis et ejulatu horroris pleno, aut saltem cum garrulitate, iracundia et inquietudine (ad insequentem usque noctem perdurantes) junctæ semper erant, fere uti Mense Aprili anni 1808. Nihil sane eo statu, quo ægrota per hoc morbi tempus fuit, miserius ne cogitari quidem potest. Neque noctu neque die mentis compos erat; per plura interdum nycthemera nullum prorsus alimentum, ne aquæ quidem guttulam sumebat; alvus continuo segnis erat, adeo ut vix singulis octo diebus, idque inscia ægrota, redderetur. Nihil morbi ferociam mitigabat, qui præstantissima remedia spernebat. E medicis, qui morbum incipientem judicabant, quin extremum expectabant, ægrotæ affines et amicæ non nisi tristissima prognostica audiebant.

Ast ne exiliores videar minutias persequi, celeriter in tramite mihi proposito procedam.

Ad diem usque 13tium Maii ejusdem anni (1809), cum morbus sub duplici illa varietate (sopore nimirum hysterico et furore convulsivo) die nocteque alternaret, idemque quemvis

miseram suscitandi conatum illuderet et frustraretur, *nos* — quotquot fuimus medici — spectatores prorsus fere otiosos magnæ illius calamitatis nos præbuimus, vix sperantes fore, ut absoluta et perfecta ejus inedia, temporis beneficio adjuta, insultus istos crudeles demum aut mitigaret, aut breviores saltem redderet.

Verumenimvero die 13 Maii 1809, quum *Callisenius noster* una mecum lectulo ægrotæ, tunc profunde consopitæ, forte assideret, sapienti huic viro placuit, pulverem ex herba nicotiana, digitis comprehensum, illius naribus admovere, experiundi causa (uti innuebat) an iste pulvis, inspiratione attractus, ullum optabilem effectum habiturus esset. Eventus hujus experimenti non ex sententia solum procedebat, sed etiam omnem expectationem superabat. Vix enim pulvis membranam pituitariam leviter attigerat, cum ægrota, nulla sternutatione interveniente, plene ad mentem rediret, sensumque cum motu recuperaret. Tum inde per reliquam diei partem de nulla ægritudine conquerebatur, sed valde licet debilitata, alacritatem habebat, quam antehac per totum morbum nunquam. Verumenimvero jam nocte insequente ex inopinato omnia rur-

sus pejora! Post levem nempe et placidum
 somnum ægrota a furore denuo convulsivo
 corripiebatur, qvi ad proximum diem perse-
 verabat, atqve in soporem profundum demum
 transibat, qvo durante ne verbum quidem
 proferebat. Accedens ego postridie, insultum
 hunc, experimento *Callisenii* repetendo, feliciter
 quidem ita fugavi, ut ægrota protinus ad se
 rediret. Cum autem deinceps ejusmodi acces-
 sus, jam soporosi, jam furiosi, quavis nocte
 sponte reverterentur, etiam ingravescerent; in-
 super cum ægra simul e repetita resuscitatione
 usui tabaci sensim assvesceret; effectum hujus
 remedii debiliorem indies fieri, infortunii
 anxius præsagiebam. Neqve proh dolor! acerba
 hæc expectatio me fefellit. Posteaquam enim
 ægrota quovis mane, ope tabaci somno suscitata,
 octo circiter dies vitam sub sat prospero for-
 tunæ flatu transegerat; tum neqve iste stimulus,
 nec liquor ammonii causticus, nec ipse helle-
 borus, aliaqve ejusdem farraginis, naribus ad-
 mota, ullam amplius reactionem excitabant.
 Morbus tunc iterum, similiter atqve ante breve
 hoc intervallum, neqve nocte neqve die re-
 mittebat, sed symptomatibus, visu et auditu
 horrendis, perpetuo sæviebat.

Quodnam itaque consilium, prout tunc necessitas exigebat, in casu tam ancipiti capiendum erat? Ingenue fateor me sat diu, quo me verterem, anxie hæsitasse. Sub quotidianis illis exsuscitandi periculis observaveram, ægotam e sopore vel profundissimo ocyus semper ad se redire, si clauso forte ejus ore, quam si eodem aperto tabaci pulverem naribus admoveram. Ast unde varius hic ejusdem remedii effectus oriretur, obscurum erat. Num forsitan e leviori pulveris attractione et impulsu, dum os hiabat, an aliunde? Quapropter ut de dubia hac re, quæ ab initio me parum moverat, certior tandem fierem; nunc manu mea os ægotæ prius arcte obtegebam, quam tabacum illius naribus porrigebam. Atqui hoc experimentum, pluries repetitum, ad novum artis subsidium inveniendum, velut casu fortuito, viam mihi feliciter paravit. Etenim mox cognovi auxilio satis esse, si *aëri per ægotæ os et nares omnis ingressus et regressus per aliquot horæ momenta intercluderetur.* Ecce in ipsa medici manu, eaque nuda et inermi, artis adminiculum, quantum effectus spectatur, omni fere fide certius, quo perniciose ista utriusque generis symptomata

intra breve tempus ut plurimum domari et vinci queant.

Exsuscitatio e statu soporoso semper facili negotio efficiebatur, idque sub phænomenis, constantem ordinem sequentibus. Post interceptam nempe Consopitæ respirationem totum ipsius corpus absque motu et sensu quietum primum aliquandiu jacebat; deinceps diaphragma una cum ceteris respirationis musculis reciproco impetu intendebantur; postea artus novo, ut videbatur, vigore profusi, lente erigebantur; novissime utraqve manus sursum faciem versus flectebatur; quibus peractis, (si tunc respirationis impedimenta demerem) ægra statim, tanquam sana e somno evigilans utrumque oculum manibus fricabat — profunde oscillabat — et continuo ad se redibat, dein valentissimilis erat, donec novus insultus accideret.

Paulo secus *exsuscitatio e statu furioso* contingebat, multumque difficultatis et laboris saepe raro habebat. Quamprimum enim ægrotae respiratio manu inhibebatur, furor tanto impetu ruebat, ut ejus meminisse animus adhuc horreat. Ægrotata, tunc velut ob gravem suffocationis metum desperata, totum corpus, caput inprimis et brachia, violentis-

sime jactabat, et effrenato impetu — decoris prorsus oblita — pro libero aeris haustu col-
luctabatur, quapropter sub exsuscitationis ini-
tuo pluribus semper mihi opus erat adjutori-
bus, qui furiosam continerent, neque contra
ipsius vim defenderent. Posteaquam vero, sub
jurgio adeo horrido moestoque, miseram per
aliquot momenta omnî respirandi postestate
privare mihi contigisset; mali ferocia absque
aliis subsidiis semper remittebat et mitigaba-
tur. Membra ante contracta, contorta et ri-
gida, aut motu effrenato agitata, tunc breviter
relaxata leniter ac sensim extendebantur. Cæ-
tera deinde iisdem prope phænomenis, eodem-
que typo perinde ac sub exsuscitatione e statu
soporoso procedebant. Ægra, ita expergefacta,
quoties a bellis suis amicis curiose examinaba-
tur, respondebat se sub insultu omnino nihil
sensisse vel audivisse, sed quasi altissimo somno
sepultam fuisse. Simul ac sensus et motus re-
diere, de nullo dolore aut ægritudine conquere-
batur. Neque vires inter paroxysmos fractæ
visæ sunt.

Invidiam forsân, *Sodales!* mihi concitavit, quod *Callisenii* experimento ductus, novam illam exsuscitandi methodum omnium

primus adhibuerim. Equidém malle[m] prosperam
 hanc fortunam alii evenisse q[uam] mihi! Q[uo]t
 enim, q[ua]ntisq[ue] molestis operosisq[ue] negotiis
 cum ægrotante nostra a die illo implicitus fuerim,
 dici vix potest. Etenim ulterius non progres-
 sus eram, q[uam] ut miseram e paroxysmis illis
 resuscitare, et ad sanam mentem revocare va-
 lerem; novos vero istorum accessus, utpote
 q[ui] nulla prænuntia habebant, declinare aut
 præcavere nondum in artis, ne dicam in mea
 potestate erat. Quid tum inde? Sopor pro-
 fundus q[ui]vemq[ue] fere somnum naturalem brevi
 post diluculum excipiebat, tantaq[ue] deinceps
 pertinacia continuabat, ut ægrota, nisi laudata
 methodo juvaretur, ad mentem nunq[ua]m redi-
 ret. Nec quidem hoc satis! Iste enim so-
 por, nisi absq[ue] mora tolleretur, nunc
 semper pomeridiano tempore in furorem,
 q[ui]n rabiem transgrediebatur. Atq[ui] (o fa-
 tum inexorabile!) perseverabat eadem hæc
 morbi atrocitas *per integros 19 menses*, a die
 nempe 18vo Maii anni 1809 ad diem usq[ue]
 8vum Decembris anni inseq[ue]ntis; idq[ue], ut ex
 ante allatis liq[ue]t, una cum obstinata illa, per
 se jam sat molesta, ischuria urethrali. Haud
 itaq[ue] mirum, si ego per diuturnum hoc tem-

poris spatium die nocteque accitus, istis tra-
goediis concitus, supra vires, et sexcenties ite-
rum perturbatus fuerim, meaque patientia fere
victa sit. Ast paulatim voluptati fiunt, quæ ne-
cessitate coeperunt; nec medicum decet dura
ac difficilia reformidare! Tanto magis ægrotæ,
ejusque affinium precibus quotidianis morem ge-
rere officium duxi, cum ista resuscitandi peri-
cula, in primis sub statu ægrotæ furioso, rarissi-
me collegis meis vel dexterrimis, quippe minus in
hoc opere intrepidis, prospere evenirent. *Cal-
lisenius, Schumacherus, Herholdtus* (frater ca-
rissimus) aliique artis periti vires suas in no-
stra, exsuscitandi methodo adhibenda pluries
exercitarunt. *Brandisius* tactu magnetico nec
non oculorum constanti contuitu ægram no-
stram e statu soporoso excitare semel tentavit,
at frustra; licet illico post in eximii hujus viri
præsentia eam artificiali illo suffocationis pe-
riculo brevi resuscitarem. Mense Julio 1809,
cum egomet ipse, valetudine impeditus, nullam
ægrotæ opem ferre valerem, ea per totos sex
dies noctesque magno cum vitæ periculo inde-
sinenter furere et ejulare continuavit. Alias
vero, si nihil obstaret, quo minus eam quovis
mane e somno excitare, et quavis vespera ab

urina retenta liberare possem, vitam tolerabilem per longum hunc morbi decursum degebat, raroque in furorem rapide delabebatur. Totum tunc diem sat hilaris et tranquilla, partim varia, ad ingenii animique cultum pertinentia, legendo et scribendo, partim designando, suendo aliisque virginum occupationibus domesticis consumebat. Parco semper nutrimento egebat; et aqua frigida pro potu maxime delectabatur. Plurima nunc iterum medicamina, e fonte pharmaceutico hausta, tempore diurno adhibebat, eaque valde diversa, nimirum ut ad varias, quas sub morbi decursu finximus, hypotheses et indicationes sic dictas curativas, istorum singula accommodatissima nobis videbantur. Quid? quod inprimis per ultimum mali semestre haud ullam ægrotæ tractationem ut nimis duram reformidavimus, si modo aliquis salutaris effectus inde sperari posset. Ambiguum enim remedium certa desperatione potius *Celso* duce existimavimus. Sed hisce nostris conaminibus prorsus nihil effecimus; vetustas malo callum consuetudinis jam obduxerat, quod velut victrix omni arti restitit, eamque superavit. Ecce aliquot exempla remediorum alias potentissimorum,

quæ spem nostram tunc fefellerunt. Opii 18 grana ægrota semel intra 6 horas sumsit nullo sive somno sive alio effectu subsequente. Tartari emetici 16 grana, intra 2 horas deglutita aliquando, neque vomitum ciebant, nec ullam excretionem sive alvi, sive sudoris, sive lotii promovebant. Vesicatorium admodum amplum, abdomini impositum, vesiculas quidem sero plenas excitabat; attamen quamvis post epidermidis ablationem pulvis cantharidum quotidie, donec gangræna minaretur, nudæ cuti inspergeretur, ægrota nec de ullo dolore inde conqvesta fuit, nec ejus somnus impeditus. Vesicæ bovinæ aqua frigidissima impletæ, pudendis et abdomini per plura nycthemera applicitæ, nullas horripilationes proferebant, nec ægram consopitam exsuscitabant, neque exsuscitatae somnum et soporem vespere impediēbant.

Circa finem Novembris anni 1810 e causa tunc adhuc ignota in tantum langvorem ægrota sensim incidebat, ut pedibus demum haud amplius insistere valeret, sed in lectulo esse perpetuo cogeretur. Furor convulsivus nunc quidem remittebat, imo pedetentim prorsus evanescebat. Ast sopor e contrario adeo profundus evadebat, ut ægrota, simulac *suffocatio-*

nis periculo suscitata esset, illico post in statum, in quo sui impositus erat, iterum delaberetur. Sic itaque aucta eheu! morbi atrocitas novum quoque nostrum exsuscitandi subsidium inutile demum reddebat! A primo nunc Decembris anni 1810 ad diem usque 8vum mensis ejusdem, quotidie semel ac sæpius istud subsidium *frustra* adhibui, magno semper cum affinium moerore. Per septem illos dies ægrota, omni vita sensoriali orbata, moribundæ instar valde languit, pallido faciei colore foedata, copioso sudore perfusa una cum extremorum frigore. Deglutitio semper difficillima erat, pulsus exilis et irregularis; respiratio lenta, interdum suspiriosa; alvi obstipatio pertinacissima; urinæ secretio adeo suppressa, ut per integros sex dies ne guttula quidem e vesica emitteretur. Instantem mortem omnes ipsique medici expectabant, quin vovebant.

Die 8vo Decembris (1810) reiterato periculo respirationem inhibendi semimortuam nostram ad sensum revocare præter meam omniumque expectationem mihi contigit. Et — quod adhuc magis faustum! — ab eodem inde temporis momento morbus aliam denuo faciem induebat, eamque minus terribilem. Hora nempe

prima postquam evigilavit ægrota horripilationes, sæpius intercurrentes, sentiebat, quas æstus febrilis, cephalalgia, dyspnæa et vomitiones inseqvebantur. Febrilia hæc typum febris continuæ dein servabant, cum aliqua exacerbatione vespertina. Et mirum, quam felici eventu hæc morbi variatio contigerit. Jam enim a primo illius accessu ægrota non sui solum semper conscia mansit, sed uno velut flatu et sopor et furor et ischuria simul evanuerunt. Naturam in opere tam benefico perturbare temerarium fuisset, quapropter nos medici ad divi Hippocratis exemplum methodum, ut dicitur, expectativam adhibuimus, et solummodo anili assiduitati nos opposuimus. Et quid inde? Die nono crisis perfecta tam sudore per totum corporis ambitum diffuso, quam urina, ad aspectum lateritia, eaque pro lubitu et sine dolore emissa, sese manifestabat, et febrem intra paucos dies prorsus tollebat. Posthac somnus naturalis semper erat, excreta bene et normaliter procedebant, nec menses sui officii obliviscebantur; vires etiam tam animi quam corporis brevi redibant. Atqui sic ægrota nostra mirifice servata, sanitatem febrili magis quam arti debebat. Læta

tunc iterum cum lætis gaudebat, idque haud sine magno meo solatio et oblectamento! Unicum morbi vestigium, de quo ab illo inde tempore querebatur, hoc erat, quod decubitus in latere corporis sinistro ægre ferret.

Ultra *duos annos* proxime insequentes nunc perfecta sanitate gavisus est. Mense Aprili anni 1813 febris morbillosa decubuit, quem morbum facile superavit. Mense Julio ejusdem anni a febre remittente iterum corripiebatur, quæ tussi spasmodica pluries in die, et a mense Augusto simul vomitu cruento stipata erat. Dolores sub vomitu haud adeo molesti erant, neque magna sanguinis copia ejiciebatur. Refrigerantia, e regno imprimis vegetabili sumpta, vomitum mitigabant, eumque initio mensis Novembris prorsus demum inhibebant. Ab hoc tempore ad 13 Januarii anni 1814 optime iterum valebat.

Illam vero die (13 Jan. 1814) in media cruris sinistri parte ad latus anterius carbunculus sat largus exoriebatur, qui atroci quidem dolore, atque motu aliquo febrili, nullo tamen spasmo junctus erat, et post copiosam suppurationem, nucleo gangrænescente demum se-

parato, circa vigesimum Maii (Anni 1814) solitis remediis sanabatur.

A mense Maio (Anni 1814) per *duos integros annos* veluti prorsus sana vitam sat prosperam iterum degebat. Verumenimvero circa exitum Maii anni 1816 febris continua, quæ typum remittentis servabat, denuo infestabatur. Stipata erat hæc febris continuo ventris dolore haud raro gravissimo, præprimis in regione hypochondriaca sinistra. Dolor hic sub inspiratione, maxime profundiore, vel tussi fortiori, semper exacerbabatur. Intercurrebat simul quotidie fere vomitus cruentus, quo haud exiguam sanguinis copiam ægra ejiciebat. Perseverabat anceps hic status *quatuor fere menses*, nempe a Mense Majo ad Septembris initium usque ejusdem anni (1816). Tunc brevi sanitatem eamque, ut videbatur, perfectam rursus recuperabat, et per *tres fere annos* insequentibus (nempe ad 8vum Januarii usque 1819) nullo sive dolore, sive spasmo vexata, felicem rursus vitam cum suis degebat.

A die 8vo Januarii anni 1819 nova tragœdia agi incipiebat. Dolor colicus tum iterum ægram affligebat, idque majori acerbitate quam antea unquam. Ita nunc continuo per plura nycthemera cruciabatur, ac si canes, ut

ipsa ajebat, ejus viscera arroderent et lancina-
 rent. Die nocteqve tam crudeliter laccessita
 nullam interea quietem nec somnum capiebat.
 Abdomine vel levi manu contrectato dolor
 valde augebatur. Accedebant mox febris ar-
 dens, singultus enormis, vomitus cruentus sat
 copiosus, nec non dejectio materiæ nigræ ac
 foetidæ per alvum. Sub terribili hoc statu nec
 alimenta nec medicamina, ne clysmata quidem,
 aut fomenta abdomini applicata, Misera ferebat.
 Hinc brevi exhausta et attenuata, eoqve de-
 mum reducta jacebat, ut prorsus nulla salutis
 spes superesse videretur. Die secundo Fe-
 bruarii (anni 1819) adeo langvida tantoqve sen-
 suum torpore obruta erat, ut accuratior abdo-
 minis exploratio institui posset. Tumor tunc
 durus ac renitens, et in tres lobulos velut
 partitius, infra umbilicum tactu percipiebatur.
 Abscessum absconditum cum suspicarer, cata-
 plasma emolliens, ut suppurationem promove-
 rem, abdomini imponere jussi, illudqve sæpius,
 ne frigeret, reiterari imperavi. Ad diem
 usque 12mum ejusdem mensis (Februarii 1819)
 status morbi immutatus perseverabat et ad in-
 teritum ruere videbatur. Misera demum co-
 pioso sudore cum extremorum frigore perfun-

debatur, et auram frigidam exspirabat. Instantem mortem omnes expectabamus. Heu! quam grave ac moestum in tanta rerum incertitudine officio medici fungi! Ne tamen ultimum remedium, vel maxime ambiguum, intentatum relinquerem, consensu ægrotæ affinium, locum tumoris maxime renitentem ad profunditatem pollicis circiter cultro audacter incidi. Nil puris et parum sanguinis vulnus fundebat. Ejus vero profunditatem cum deinceps specillo explorarem, in corpus durum et velut metallicum allisi, prorsusque ex inopinato acum suendo servientem vulsella e vulnere extraxi. Haud parum ab initio obstupui, videns imprimis illam nigram et oxydatam esse. Sed utcunque hoc! Omnia symptomata nunc remittebant, jam noctem proxime insequentem ægra per horas placide dormiebat, dieque post paululum nutrimenti capiebat. Ab hinc tumorem ut discuterem, cataplasmati species resolventes addidi, nec non alvum per clysterem ducere svasi. Ast convalescendi spem, quæ denuo miseram consolabatur, extenuari iterum et evanescere propediem vidi. Dolor enim incrementum rursus capiebat, iisdemque atque antea symptomatibus (singultu,

vomitu cruento, ceterisque) mox stipabatur. Repetita tumoris exploratione punctum in sinistra regione lumbali observabam, cujus contactu ægra acutissimos dolores cruciatusque perpetiebatur. Constitui idcirco etiam hunc locum incidere, quo facto die 15to Februarii (1819) aliam adhuc acum æque nigram et oxydatam evulsi.

Tædiosum esset, Sodales! et animum nimis moveret, si omnes istos summorum dolorum cruciatus, quos Misera nostra ab hoc inde tempore iterum pertulerit, sigillatim depingere vellem. Hinc potius duco generatim modo atque universe afferre, me a die illo 12mo mensis Februarii anni 1819 ad diem usque 10mum Augusti anni 1820, sive spatio 18 mensium *ducentas septuaginta et tres* acus variæ magnitudinis e variis illius corporis regionibus sensim cultri et vulsellæ ope extraxisse. En (ipsas acus, et) tabulas duas hanc rem ulterius illustrantes :

Tabula I^{ma}.

*Summam sistens acuum excisarum e singulis
regionibus.*

Regio e qua acus extractæ.	Earum numerus.
E mamma sinistra . . .	— 22
Inter mammas	— 14
E regione epigastrica. . .	— 41
— — hypochondriaca	
sinistra	— 19
— — — dextra	— 20
E regione umbilicali . . .	— 31
— — lumbali sinistra	— 39
— — — dextra	— 17
E regione hypogastrica . .	— 14
— — iliaca sinistra	— 27
— — — dextra	— 23
E crure sinistro	— 3
— — dextro	— 1
Inter scapulas	— 1
Infra scapulam dextram	— 1
Summa	— 273

T a b u l a II^{da}.

*Ordinem sistens chronologicum quo acus
extractæ sunt.*

Tempus quo acus extractæ.	Earum numerus.	E qua regione.
1819.		
Die 12 Febr.	1	E regione hypogastrica.
— 15 —	1	— lumbali sinistra.
— 1 Martii	2	— eadem.
— 6 Aprilis	1	— eadem.
A die 8 Maii ad diem 26 ejusdem.	3	— eadem.
	7	— iliaca dextra.
	4	— — sinistra.
	3	— hypogastrica.
Die 3 Octobr.	4	— epigastrica.
— 4 —	7	— lumbali sinistra.
A die 6 Octobr. ad diem 18 Decembris.	8	— umbilicali.
	17	— lumbali sinistra.
	11	— iliaca sinistra.
	12	— hypochond. dextra.
	5	— sterni, inter mammas.
	4	— hypochond. sinistra.
1820.		
A die 26 Jan. ad diem 8 Februarii.	6	— umbilicali.
	12	— epigastrica.
	6	— iliaca dextra.
	8	— lumbali sinistra.
	122	

Tempus quo acus extractæ.	Earum numerus.	E qua regione.
	122	
A die 26 Febr. ad diem 14 Martii.	{ 11 5	E regione epigastrica. — hypochondriaca si- nistra.
A die 8 Aprilis ad diem 28 ejusdem.	{ 8 10 8 9	— lumbali dextra. — hypochond. sinistra. — — dextra. — sterni, inter mammas.
A die 18 Maii ad diem 15 Junii.	{ 17 12	— umbilicali. — iliaca sinistra.
A die 3 Julii ad diem 20 ejusdem.	{ 10 14 9 10	— — dextra. — epigastrica. — lumbali dextra. — hypogastrica.
A die 30 Julii ad diem 10 Augusti.	{ 3 1 1 1 22	— crure sinistro. — inter scapulas. — crure dextro. — infra scapulam dex- tram. — mamma sinistra.
Summa	273	

Observate Sodales! non omnes acus inte-
 gras, sed earum plurimas in frusta fractas,
 apice vel oculo, vel utroque earum extremo,
 destitutas esse. Si modo tres excipiatis, quæ
 ad adspectum capitatæ fuerunt, quæque, prout
 ex aurichalco fabrifactæ, adhuc splendent,
 ceteræ omnes, inter quas una crinalis, nigræ
 sunt, et a prægressa oxydatione velut marcidæ.
 Ex utraque tabula apparet, tantum non omnes
 ex anteriori corporis superficie, idque haud
 simul, sed post intervalla plurium nonnunquam
 dierum, aut hebdomadum, imo interdum men-
 sium, excisas esse. Sub ejusmodi intervallis
 ægra plerumque vitam tolerabilem degebat, le-
 viori tantum ventris dolore continuo vexata;
 lectulo tamen ob virium defectum perpetuo
 nunc inhærere cogebatur. Simulac vero acus
 extrorsum versus progrediebatur, seqve cuti
 appropinquabat, et ad varium suum situm
 hanc aut vellebat, aut simul protrudebat, gra-
 vissimus semper dolor oriebatur, feбри ut plu-
 rimum, singultu et vomitu cruento junctus.
 Attamen haud raro ægra per plures dies terri-
 bili clamore ante conqverebatur, quam locus,
 quo acus latebat, certo determinari posset;
 quid? quod sæpius, ut vel acui exitum pa-

rarem, vel levamen saltem afferrem, locum dolentem usque ad musculos cuti subjectos cultro ad ambitum sat largum excoriare necesse fuit. Abdomen prius quam hoc perficiebatur valde semper intumescebat, et nunquam fere non graviora illa symptomata jam pluries memorata inducebat. At vero, quid tristius, quam quod acu quavis feliciter extracta, continuo novi doloris impetus extimescendi erant? Interdum accidebat, ut post cutis transcisionem acum frustra, diu in ipso vulnere quaererem, eamque igitur in corpore relinquere coactus essem, donec ea, post plures non nunquam dies, aut sponte in vulnus prodibat, aut alio loco sese tactui iterum exhibebat. — Excisionem acum haud semper ad unam eandemque methodum instituere potui. Jam enim abdomen ita expansum erat, ut cutis plicari nequiret; tunc libera manu vulnus supra acum infixi, et dein telam cellulosa cum adipe interjecto tenaculo et cultro separavi. Jam cutim (plerumque ope digitorum ipsius aegrotæ) plicatam prope eum, quo acus maxime prostabat, locum incisi, et laxata dein plica illam arte quaesivi. Jam demum, si acus sub angulo recto internam cutis superficiem ab in-


tus premendo illam velut in colliculum protrudebat, apicem hujus colliculi uno velut ictu abscidi, quæ methodo acus facillime ut plurimum protrahebatur, et exile tantum vulnus remanebat. Semel modo absque prægressa incisione acum digitorum ope per flaccida mammæ integumenta protrudere tentavi. At frustra hoc! Acus enim quippe oxydata, sub incauta manu frangebatur, quod infortunium me dein cogebat, ut illius frustula duplici incisione et reiterata aggressionem evellerem. Quater tantum hæmorrhagia notabilis multiplices illas, quas per octodecim istos menses perficiebam incisiones, sequebatur. Nunquam suppuratio, quod mirum, ex ipso ventris cavo oboriebatur.

Ægrotæ diros suos cruciatus ad exitum usque Januarii Anni 1820 tolerabiliter adhuc ferebat, perraro licet trepida cultrum reformidans, e quo solo levamen sperare illi licebat. Ultimo vero hujus mensis die mater ægrotæ carissima ex tam infinita fere domestica calamitate valde contristata, in apoplexiam subito incidebat, inseqvente postea hemiplegia lateris sinistri. Miserta matris Nostræ magis adhuc quam propriis suis ærum-

nis premi videbatur. Huic animi tristitiæ tribuendum esse existimo, quod ea ipsa duos circiter menses post (nempe die 16te Martii 1820) itidem a paralyssi brachii dextri ex inopinato corripereetur. Et quid posthac amplius? Dolores continui, quos misera patiebatur, licet consuetudine parum mitigati, ejus tamen systema nervosum ita sensim debilitabant, ut mense Julio paralyssis brachii quoque sinistri, et aliquot dies post plenaria et perfecta paraplegia, aponia insuper stipata insequeretur. Viva ipsa mortua jam nunc videbatur, nisi quod caput unum vigeret et moveretur. Eo usque reducta erat, ut instar infantulorum nutriri et curari deberet; quid? quod nec verbis nec digitis locum, quo etiamnum ab acubus velleretur, monstrare valuit. Mens ægrotæ illæsa quidem manebat, at lamentabili voce perpetuo ululans, nunc adeo demum desperabat, ut se interituram putaret, nullaque ratione in spem erigi et recreari posset. Quinque dies ita fuit, in quorum exitu lingua titubante denuo loqui incipiebat. Paraplegia vero gradu haud imminuta continuabat. Post 10mum Augusti (1820), a quo die nulla acus se amplius sistebat, dolores infimi ventris re-

mittebant, et cuncta ab illis orta symptomata evanescebant. O lætitiā ægrotæ sed trepidam! Adhibitis nunc remediis nervinis et roborantibus, balneis calidis, vesicatoriis, variisque linimentis, in melius omnia convertentur, sensus et vis motrix in cruribus primum et trunco, dein in brachio sinistro redibant, revertebatur simul vigor ruborque faciei, quam pallor antea deformaverat. Brevi post æqvabiliter utraqve tibia valida gressum recipiebat; vigeant magis indies mentis functiones, et — ut paucis dicam — jam ante exitum anni (1820), excisis demum acubus illis e mamma (ante undecimum nempe Augusti) perfecta prope sanitate fruebatur. Omnia quoque vulnera ante annum insequentem jam consolidata erant, totumque abdomen ita cicatricibus notatum, ut tabulam geographicam æqvaret, et — quod haud satis mirari potest — viscera ejus omnia nulla labe contaminata deprehenduntur. Unicum quod a morbo nunc reliquum est, in dolore consistit leviori humeri dextri et langvore brachii ejusdem lateris, quippe cujus movendi facultas nondum prorsus restituta. Spem tamen omnes fovemus, fore, ut hic quoque affectus natura de-

mum et arte tollatur. Quid verba facio? Ipsa
 ægrota jamjam Divino Numine se e maxima
 calamitate servatam, grato animo et piis la-
 crymis agnoscit.





DITTY

SOME TIGHT
GUTTERS

